

bus pro marturina a quolibet Jobagione integre curie exigebantur duodecim denarii Banales, item pro lucro Camere iidem denarii septem, et sic denarii decem, et novem simul conjungendo, et ultra hec exigebantur duo denarii competentes exactori ipsarum marturinarum et septem denariorum. Item unus denarius similiter de quolibet Jobagione per hominem domini Episcopi Zagrabiensis, qui homo domini Episcopi ab antiquis temporibus pro testimonio in exactione huiusmodi procedebat, ne aliquis ex regnicolis iniuste posset per exactiones huiusmodi aggravari, nunc vero ultra hec indebite et iniuste exigitur lucrum Camere in foris, loco cuius fuerunt ipsi septem denarii ordinati, quamvis ipsi septem denarii et nunc exigantur cum marturinis, ut est dictum. Datum feria secunda proxima ante festum Ascensionis Domini, anno ejusdem supradicto.

Originalis membr. in Archivio Regni Croatiae Priv. Nro. 4.

XC.

1350. Sabatho proximo ante Dominicam Laetare. In Toplica.

Paulus de Vgal, totius Slavoniae et Croatiae Banus, quosdam articulos, praestationes hominum Abbatiae Toplicensis attinentes, e privilegiis eidem Abbatiae ab Andrea II. a. 1211 et 1213 datis, transsumit.

Nos Paulus de Vgal, per dominum Stephanum, Dei gracia totius Sclavonie, Croacie et Dalmacie Ducem, in dictis Regnis Sclavonie et Croacie Banus constitutus, memorie commendantes tenore presencium quibus expedit significamus vniuersis. Quod vir religiosus frater Guillermus, Abbas monasterij Beate Virginis de Toplica, sua et totius dicte Ecclesie sue conventus vice et nomine, ad nostram accedendo presenciam, exhibuit nobis quedam duo priuilegia serenissimi principis domini Andree olim illustris regis Hungarie, beate recordationis, fundatoris scilicet dicti monasterij, vnum anno ab Incarnatione domini Millesimo ducentesimo decimo primo, per manus domini Thome aule sue regie cancellarij, et Vesprimiensis prepositi, duplici sub sigillo regio confectum, et aliud anno ab Incarnatione domini Millesimo ducentesimo decimo tercio, per manus Thome Albensis prepositi, et Hungarie cancellarij, sub quodam sigillo eius rotundo emanatum; petens nos humili precum cum instantia, vt quia ipsa duo priuilegia propter viarum discrimina et alios infortunatos casus, ad tuicionem seu conservacionem iurium dicti monasterij, continue secum in specie deferre non auderet, ideo quosdam articulos eorundem priuilegiorum ad conservacionem iurium dicti